ORATIO
FELICIS RIDIGERI
BORVSSI:

Quâ

EX CELEBERRIMA
VVITEBERGENSI ACADEMIA
diſceſſurus, eiusdem Patres ac Cives
Deo OPT. MAX. commendavit:

Et

VTRVM OMNIBVS EVROPÆ GENTIBVS, ADVERSVS
Turcam, Romanum Imperium deuaſtare & ſubjugare conantem, ſocietas pangenda & bellum capeſſendum ſit,

Pertractavit publice,

Anno

M. D. XCVI.

Die XIX. Septembris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD DIVVM

RVDOLPHVM II.

ROMANORVM IMPERATOREM POTENTISSIMVM, SEMPER AVguſtum Germaniæ: Vngariæ & Boëmiæ Regem: Archiducem Auſtriæ, &c. Dominum meum Clementiſsimum.

MVLTI SECVLVM NOſtrum damnant infelicitatis, DIVE RVDOLPHE, IMPERATOR AVGVSTISSIME: & nemo eſt, qui non tum publicarum, tum privatarum rerũ deploret & execretur difficultatem, multis cum moleſtijs & calamitatibus conjunctam. At rariores eſſe veros, verarum, quæ tantam incommodorum molem in Chriſtianitatem invehunt, cauſarum inveſtigatores: in aperto & propatulo ità eſt, ut qui neget, eum aut valdè impudentem eſſe, aut in quotidianarum rerum ſumma ignoratione verſari, neceſſe ſit.

Vt enim unicò, eoq; cum veritate congruente argumento rem totam patefaciamus: infinitos

certè invenias: qui, quicquid ſuæ detrimenti Reipub. quicquid regno unicuiq; incommodi evenit: id univerſum ex bellorũ redundare frequentia: quæ noſtro ſeculo vigent, ſi viguerunt unquã, contendunt & vociferantur: mentis interim ſuæ aciem ad primariam, non bellorum tantum: ſed omnium, quæ mortales uſpiam experiuntur, ærumnarum cauſam, haud reflectentes. Peccata dico: quorum maturitas, in noſtræ ætatis tempus, adeò erupit: ut jam nihil reſtare videatur, quin DEO Præpotenti & Iuſtiſsimo fas ſit, non fame, non peſte, non bello jactare & exagitare humanũ genus ſed funditus illud evertere, æterniſq; afficere cruciatibus, ſi Paterna ei ſua permitteret miſericordia, ſi ineffabilis charitas FILII ſui unigeniti, Salvatoris noſtri IESV CHRISTI.

Delicta igitur noſtra, DEVM ad iram indeſinenter provocant. Peccata omnium malorum inundationem important: ut non mirum ſit, nullum ferè in toto Chriſtianorum orbe angulum, à bellorum curis & moleſtia, vacuum reperiri.

At, ſuntne hodiè bella ab avaritia, ambitione, invidia & exitioſa privatæ vindicationis cupiditate, petulanter profecta? Suntne, quibus nil minus, quàm propagatio Gloriæ Majeſtatis ALTISSIMI, eſt propoſitum? TV, qui ad gubernacula ſedes Romani Imperij, RUDOLPHE IMPERATO-

RATOR POTENTISSIME: ſi, quod facis, pro inſigni tecum habitante Prudentia accuratius nonnihil cum animo reputaveris, videbis: & judicabis facilè, eos, qui alio, quàm boni & honeſti incenduntur bellandi ſtudio & cupiditate, in infinitas incidere & incidiſſe calamitates: eorum bellorum eventus duriſsimos, nunquam lætos, nunquam proſperos, nunquam civibus ſuis utiles & ſalutares fuiſſe.

Bellum verò tuum IMPERATOR AUGUSTISSIME, quod cum æterno FILII DEI, & jurato ac capitali membrorum IESU CHRISTI hoſte, ſuſceptum & laudabiliter inſtitutum habes: quandoquidem pium, juſtum, honeſtum & neceſſarium eſt: tantum abeſt, ut, qui CHRISTI honori favent ſtudentq;, de eo conquerantur: ac ſi parum boni ex eo, mali multum, proficiſcatur: ut etiam vehementer ſibi de præclara occaſione gratulentur: per quam ipſis integrum ſit & facultas concedatur, precibus, votis, conſilio, facultatibus, manu, vitæ deniq; jacturâ & ſanguinis profuſione, debitam DEO Pietatem reddendi, & ardentiſſimum ſuum ex promovenda Chriſtianitatis ſalute captum, declarandi inq; lucem proferendi, deſiderium.

Eo lubentius verò TIBI adſunt tot gentium validiſsimæ legiones & inſtructiſsimus equi-

)(3 tatus:

tatus: quo firmiore ducuntur ſpe, DEVM Chriſtianis militibus affuturum, & non ſine inſigni, adq; poſteritatem laudatiſsima victoria nos beaturum, bellumq; ità finiturum eſſe, ut ipſi ſua conſtet Gloria, Populus ſuus ſalute afficiatur, Turcæ perpetuâ excrucientur ignominiâ: tum, quod noviſsimis, turcico regno interitum minitantibus temporibus TE IMPERATORE, quo præſtantiorem optare & meliorem nullum omninò queunt, geritur: cujus Pietas, Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, Magnanimitas, Gravitate temperata Comitas: &, quæ ſupra ſortem humanæ conditionis eſſe videtur, Manſuetudo & Clementia, omnium regionum aures & animos complevit: tum, quod paribus Virtutibus conſpicuo, belli hujus adminiſtratio decreta eſt, Sereniſsimo Archiduci Auſtriæ, MAXIMILIANO: TIBI cariſſimo: cariſsimo exercitui: &, præter extremè perjuros & ad fœdam proditionem pronos, bonis omnibus cariſsimo.

Hâc multorum bonorum conſenſione, quâ conglutinatæ voluntates laudabiliter concordant: etſi ambigere nefas ſit, TE DIVUM RUDOLPHUM IMPERATOREM Concordiæ & unanimitatis omnia contrahentis amantiſsimum, mirificé delectari, atq; exultare. Eſt tamen extra omnem dubitationis aleam ponendum: TE diſcordia-

cordiarum omnium, omniſq; voluntatum & animorum damnoſæ diſtractionis, univerſa diſſipantis, ſummum oſorem, magnoperè affligi & diurnis nocturniſq; ſolicitudinibus, curis & angoribus, non leviter confici, reliquorum Chriſtianorum, partim alieniſſimo rei Chriſtianæ tempore, inutiliter bellantium & in propria viſcera irruentium: partim, non ocioſè modò ſedentium: quod etſi difficilem, aliquam tamen haberet, bonitatis ſimplicitati junctæ, opinionem: ſed quod in æternum nullam meretur excuſationem, melius, in DEVM blaſphemo, ſceleroſo, perjuro & pernitioſiſsimo hoſti, quàm ſociorum & fratrum ſuorum fortunis cupientium, atq; fortaſſè etiam opitulantium inconſiderantiâ, pravitate & malitiâ: cùm interim, quod Prudentem & Fortem IMPERATOREM decet, in legatis mittendis, in varijs tractationibus inſtituendis, & rogando, monendo, adhortando, nihil hucuſq; reliqui feceris: non ſumptibus aut alicui rei peperceris, quâ potuiſſent ad meliorem perduci, ipſis & totius Chriſtianitatis nomini conducibilem & profuturam rationem. Sed fruſtra. Nimirum ſuperbiunt, tanto minus veniæ olim, minus ſolatij habituri: quanto majoris ponderis, Tanti tam æqua poſtulatio IMPERATORIS, fuit: quæ, cùm apud ipſos valere meritò plurimùm debebat, reſpuitur faſtuoſa

pertinaciâ, pectora eorum indurante: Otiantur DEI Præpotentis arcano conſilio & perveſtigari neſcia voluntate: ne fortaſſè (loquor humanitus) conceſſam Divinitus victoriam, non niſi ipſis partam præſentibus, jactitare: aut, quæ mortalium perverſitas eſt, quod ad DEI noſtri gloriam pertineret, ad ſuam augendam amplificandamq; rapere eos contingeret: idq; ſine controverſia illorũ potiſsimum conſenſu, quibus nunquam venit in mentem, ut credant, horum non impetratis auxilijs, Romanum Imperium aliquid laude dignum poſſe efficere.

Non eſt mihi propoſitum, altius hîc & copioſius veſtigare ea: quorũ odioſa foret & animis probitate tinctis, ingrata oratio: quæq; ſuo tempore reuelanda & omniũ obtutui manifeſtanda, ſibi reſervata cupit regum REX, dominorũ DOMINUS.

O infauſta veſania, cône progreſſa impietatis es? ut ſtatuas, in Chriſtianitate natos, in Chriſtianitate educatos, nomine Chriſtianorum inſignitos, eum in modum infatuare, deq; ſanæ mentis ſolio deturbare adeò: ut, aut nullum ad á funeſtis, peſtilentibus & Populo DEI calamitoſis conatibus, revocare ſtudentes, reſpectum: nullam præclarè & in communem utilitatem conſulentibus, reverentiam habeant: aut obliti DEI, DEI exercituum & ejus fortiſsimæ dextræ, pro-

priam

priam Creatori rerum omnium Gloriam creaturæ communicantes, incidant in horribilem primæ decalogi legis Divinæ pœnam.

Quanto rectius TV AUGUSTISSIME ROMANORVM IMPERATOR RUDOLPHE: Qui licet magnæ Chriſtianorum partis auxilio deſtitutus, de DEI tamen noſtri non deſperas clementi & paterna miſericordia, & à rerum humanarum promordio, infinitis teſtimonijs comprobata potentia: ſed totâ in eum repoſitâ fiduciâ, in excubijs collocatus Chriſtianitatis, de ſtatione nihil decedens, educis exercitum contra extremum Nominis & Eccleſiæ IESU CHRISTI hoſtem: certo certius, CHRISTO OPT. MAX. annuente & propugnante, victoriam ex eo reportaturus & ex Majorum Tuorum regnis præcipitem tyrannum fœdiſsimum exturbaturus, atq; dulciſsimam vocem auditurus fidelium ſubditorum tuorum, PATREM TE PATRIAE & Vindicem veræ libertatis, eximio cum gaudio conſalutantium.

Quorum in ſerie atq; numero, ut demonſtrarem, eſſe quoq; me: qui inuidentes barbaro hoſti eam, quam ex inteſtinis Chriſtianorum bellis & factionibus percipit, voluptatem incredibilem, nihil magis in votis habent, quàm coaleſcentem indies & conſpirantem in turcicum bellum voluntatem: nihil magis execrantur, quàm diverſis ab

hac

hac rebus ſtudentium animorum diſtractionem: recitavi in pleno Academiæ Senatu & ſpectatiſſima auditorum frequentia, antè annum circitérve, ſub diſceſſum VVitebergâ meum, Europæos ad armorum & belli contra Turcos ſocietatem ineundam, invitantem Orationem. Quam ejus dignitatis â me ut lucem aſpiceret, nunquam æſtimatam, precibus multorum flagitatus, tandem prælo typographico ſubmittendam duxi: ſpe certiſsimâ fretus, ſinceritatis, Concordiæ & Romani Imperij amantes, non alio, quàm quo enunciata eſt, animo: candido nempè & ſalutis Chriſtianorum avidiſsimo: nequicquam autem in quempiam injurioſo, eam interpretaturos eſſe.

TIBI autem IMPERATORI POTENTISSIMO, DOMINO meo CLEMENTISSIMO eam inſcribere atq; ſubmiſsâ humilitate dedicare, antè omnia viſum fuit: tum, ut in Nomine TVO Auguſtiſſimo, expeditum illi contra malevolos & bonorum dictorum factorumq; ſiniſtros judices, & paratum eſſet patrocinium: tum, ut re ipſâ patefacerem: quam incredibili gaudio mihi fuerit, de gratioſiſsima MAIESTATIS TVÆ in me CLEMENTIA, audire: quamq; ineffabili tenear, non retinendæ modò, ſed humilimis meis & fideliſsimis ſervitijs, cum ſubjectiſſima officiorum obſervantia augendæ cumulandæq; illius, atq;

ſum-

ſummis conatibus perficiendi deſiderio, dignus ut judicer, in quem MAIESTAS TVA Cæſaream benignitatem, Clementiſsimum favorem & gratioſiſſimam benevolentiam conferre, non dubitandum ſibi exiſtimârit.

Vtinam verò orationis hujus lectione, tantum de pertinacia remitterent hi, qui futurarum, ipſos quæ circumſtant, calamitatum, memores eſſe debebant: quantum TV POTENTISSIME IMPERATOR velles, & omnes boni cupiunt: quantumq; ego pro explorato habeo, hanc, etſi exiguam & á tenui doctrina profectam orationem, TIBI IMPERATOR AUGUSTISSIME, qui non minus humilia & deſpecta reſpicis, quàm magnum aliquid & præclarum præ ſe ferentia, ingratam minus futuram; eſſet profectò uberrimus hic parvi laboris fructus atq; merces ampliſſima. Sed hoc optare licet: ſperare, non item. Speràrunt hoc Oratores ampliſsimi, Viri undiquaq; literatiſsimi, ſapientiſsimi, prudentiſsimiq;. Quorum omnium præſtantiam, & quàm inutiliter dixerint, ſcripſerint, quoties memoriâ recolo, recolo autem ſæpius: toties de mea tenuitate conſiderationem intendo: toties ſperare deſino, ac ne optare quidem ulterius, audeo. Anathema eſt, qui confidit in homine, IMPERATOR RUDOLPHE. Spes noſtra reſideat in DEI noſtri potentiſſimo

tiſsimo auxilio & virtute: QVI ſolium Tuum auguſtiſsimis firmabit victorijs, magnisq; perſeveranter cumulabit felicitatibus: jampridem Pietate, Iuſtitiâ & Clementiâ firmatum atq; corroboratum.

Hujus ominis PATER DOMINI & SALVATORIS univerſi generis humani IESV CHRISTI & noſter in EO, Te compotem facturus eſt IMPERATOR POTENTISSIME: Tu verò Imperatoriæ Majeſtatis Tuæ Clementiſsimæ gratiæ conſtanter, & perpetui favoris me participem. Perſcriptæ Anno 1596. Menſe Novembr. Dreſdæ.

TVÆ
CÆSAREÆ
MAIESTATI

Humiliter ſubjectiſsimus

Felix Ridiger.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

LVDOVICVS PERSON

Iuris vtriusque Doctor ac Profeſſor.

QVOD ROMANI olim legum voce denunciare in militiā proficiſcentibus ſolebant, *DOMVM CVM LAVDE REPEDANTO*: idem ſibi dictum injunctumq; eſſe perſuaſum habere debent, quicunque de ſententia ſuorum, aut ſua, in gymnaſia ſe ſuperiora, quas Academias vſurpamus, contulerūt. Nihil enim eſt aliud genus hoc vitæ verbo potius, quàm re ſcholaſticæ, niſi militia quædam togata: in cuius procinctu ſemper ſtandum ac depugnandum ſit, contra capitales non vnius generis hoſtes acie tum ſtyli tum oculorum, idque aſsiduis & excubijs & vigilijs.

)(Quip-

Quippe ignorantiæ ac vicioſitatis agmina labore indefeſſo, & rebus benè gerendis fundenda fugandaque ſunt, & in arcem virtutis ac ſcientiæ, niſi per multos anfractus, denſiſsimas vepres, rupesq; altiſsimas non licet aſcendere. Quocirca quemadmodum rei ac gloriæ ſuæ peſsimè conſulunt, qui alia pótius omnia conſectantur, quàm vt tanquam in ſole ac puluere ſtipendia eruditionis & honeſtatis mereant: ita præclariſsimè ac feliciſsimè egiſſe conſendi ſunt, qui ductum atque auſpicia rectæ rationis ſecuti, firmo, quod dicitur, progreſſu ad optima maxima quæq; pedem ac vexilla protulerunt, & virtutis ac ſapientiæ lauream reportarunt. Quo in cenſu lubentes meritò agnoſcimus, ac macte virtute eſſe jubemus nobilem & ornatiſsimæ exiſtimationis, ac doctrinæ eruditæ copiâ præſtantem virum Dn. *Felicem* R*idigerum* B*orusſum*, qui complures annos in hac acie vitæ literariæ inſignia apud nos, eàq; tantum non emerita fecit ſtipendia. De quo quidem nobis hoc tempore plus verborum minime faci-

en-

endum arbitramur, ne aut aſſentationi dare videamur, quod veritati liquidó poſſumus, aut tanquam pro tribunali & concione advocata laudare inſtituamus eum, qui plenis jampridem quaſi caſtris notus & perſpectus eſt omnibus. Cæterum quod ipſe orationem habiturus eſt ad proximum diem Veneris, hora nona in auditorio majori, quâ cùm alia dicturus, tum imprimis Academiæ hujus patribus ac civibus valedicturus eſt, volumus atque jubemus, vt juriſdictioni noſtræ ſubjecti eo loco ac tempore frequentes conueniant, & perorantem animis ſtudioſis auſcultent.
P. P. Dominica XIII. Trinitatis. M.D.XCV.

IN POLEMICAM
FELICIS RIDIGERI BO-
RVSSI NOBILIS,
Quæſtionem:
PRO SOCIIS PER EVROPÆ
um Chriſtianorum orbem contra blaſphemos
Turcas conferendis armis.

ERgò tuos affers tandem exorate mucrones
Turcarum coctos in caput atq; necem.
Vtilis eſt, FELIX, tua Quæſtio, & vtile Marti
Accingis ferrum per ſocia arma, nouo.
Æmula quod non ſit tua fauſta modeſtia laudis
Sat ſcio, tardati, quæ vnica cauſa typi.
Prodite ergò nouæ felici incude phalanges:
Atq; diu oratum littera cerne diem.
Mars, Cicero eloquere, arma doce, ſocialia iunge
Bella, malum ſocium quod iubet, arma doce.
Ædificat ſociata manus: concordia regnis
Amplificatrices monſtrat amata vias.
Vidi ego, quod minuat vaga res diſcordia magnas;
Concordi & vidi creſcere parua modo.
Rectè ergò, FELIX, bella amplificantia noſtri
Imperij fines conſociata doces.

Omnis

Omnis Chriſtigenum hinc ſurge Europæa Iuuentus!
Te arma pro publico Teutonis ora bono.
Surge age, linque tuum armipotens Germania ſomnum!
Chriſtiadum vigila quisquis in orbe iaces.
Conſociate manus & dextras iungite dextris,
Chriſticolæ quotquot viuitis orbe viri:
Pannoniam eripite è Machometis faucibus, Iſtri
Et Dravi, & Savi pacificate ſinus.
Vltima Chriſtiadum ſacra propugnacula Viennam
O ſeruate, truces pellite ab vrbe Getas.
Tunc habitura ratam Latium, & Germania pacem,
Somniet atq; alter nil ſibi tale prius.
Tunc Aquilo tumidus veniet denſior orbis,
RVDOLPHO & Domino flectet vtrunq; genu.
Cappadocem, Armenium, Cilicem, Phrygiumq́; Sabæum,
Tunc Aquilæ cernes ſubdere colla Syrum.
Noſtra erit Epirus, Memphis, Babylonq; Rhodusq;
Tota reuertetur Lydia, Thraxq; ferus.
RVDOLPHI cedent Byzantia mœnia ſceptris,
Atq; Orientalis cætera regna ſoli.
Surge modo magnis dominans Alemannia campis
Et miſeris modò fer Martia rebus opem.
Surge age RVDOLPHE: en totus tibi ſupplicat (orbis,
Prome arma & Martem, qui ſuper arma ſedet.
Præcipe vt arma potens ſociet Germania: pugnet
Pro aris, proq; focis, pro grege, lege, DEO.

Surgite Teutonici Hannibales, Mauortij, Achilles
Et ſocio veſtrum Marte iuuate caput.
Aurea Theſauris veſtris date robora belli;
Miti res agitur publica namq́ manu.
Mitia vt in veſtros coniectet lumina vultus.
Per ſocia hæc factus prælia CÆSAR ovans.
Annuite Imperio ſacra Numina, iungite dextras,
Irruite in turpis barbara terga Syri.
Induite arma, Aquilæ prompti ſuccurrite: veſtras
Ne ſimul exurat proxima flamma domos.
Cedite RVDOLPHO ſolium atq́ orientis habenas;
Illi debetur jure quod Imperium.
Ducat, vt antè, ſuas per prælia nunq́ cohortes
Fauſta Sigismundus Ioſua Chriſtiadum.
Armipotens exercituum DEVS, inclytus Heros
Pro noſtris BATHORVS pugnet ovetq́ focis:
Per mediosq́ canes ruat is turpesq́ latrones:
Vindice blasphemos enecet enſe viros.
Tunc curru victrix Germania ovante per orbem
CÆSAR ovans rutilis tumq́ vehêre rotis.
CÆSARIS à curru BATHORVS venietq́ ſecūdus
Fronte coronatus Daphnide, mirto, olea.
TVQVE tuos monitus bellandi haud differ ad arma
Quæ coquis ô FELIX conſona, cinge virum.
Regis ad arma pedes Domini pone, arma RVDOLPH°
Arripiet, franget Turcica colla Scythis.

Nubila

Nubila poſt Phœbus veniet poſt prælia paxq́;
Vnus tunc toto Cæſar in orbe reget.
Teq́ locum ad dignum, belli & diſcrimina pacis
Qui noſti, FELIX, Cæſaris aula feret.

Scribebam Pragæ,
IOHANNES HELLFRVS
Iuris V. Doctor.

ALIVD.

TVrcorum Princeps Furiarum quarta, flagellũ
Hungariæ, & nunquã ſatiabilis heluo noſtri
Sanguinis, audaci ſectatur acinace pactos
Imperio populos Aquilæque biroſtris alumnum
Auſtriaco genitore ſatum: ſedet, arma feroci
Continuare manu, nec motis cedere caſtris
Quàm victi regale premat diadema RVDOLPHI.
NVNC ô Germani (nunc res vocat) ite leones
Fortiáque aduerſis opponite pectora Turcis.
Et vos, qui doctè ſapitis cautoq́ magiſtræ
Pallados armati clypeo certatis in ipſis
Viſceribus patriæ, ſociàs adiungite vires
Conſilijq́ flabris Aquilas animate RVDOLPHI
Et belli monitis implete negotia: quippe
Arma foris prodeſſe parùm cata cenſuit ætas,
Conſilij matura domi niſi forma ſequatur.
Tuq́ adeò FELIX, ſocero gener æmule, qui rem
Saxoniæ, ceu priſcus Atlas iuga cœlica fulcit

Robore

Robore conſilij, luci committe, quod olim
Europæ gentes grandi heic ſermone docebas,
Flore Profeſſorum & juuenum mirante coronâ.

VVitebergæ faciebam
Fridericus Taumannus Franc.
P.L. & Profeſſor ibidem Pub.

ORA-

ORATIO

QVAM ACADEMIÆ VVI-
tebergenſi valedicturus in Auditorio
maiori habebat

FELIX RIDIGER BORVSSVS

Anno 1595. xix. Septemb.

FACTVRVS ITErum verba ad hoc auguſtiſsimum auditorium, Magnifice Domine Rector, Equites nobiliſſimi, Viri Reuerendi, Conſultiſſimi & Clariſſimi: Patres & proceres Academici, tuq; nobiliſsima auditorum Corona: Duo mihi penſi habenda eſſe ſtatuo. Quorum alterum eſt: vt veſtrum benigniſsimum fauorem demerear: vt, quod me in perorando premit onus, veſtrâ facilitate & humanitate leuius efficiatur.

Nam dicendi prouinciam mihi capeſſuro, hiſce cumprimis opus eſſe ſentio. Si enim vel auditorij huius maieſtatem: vel, quam tractandam ſuſcepi, quæſtionis dignitatem intueor: vtraq; mihi non minimam inſtituti mei difficultatem, primâ fron-

te oſtendit. Nec mirum. Fuerunt namq; in hoc ampliſſimo auditorum cœtu, fuerunt: qui ex hoc loco & cum ſumma ſuauitate, & cum magna vtilitate dixerunt. Ego verò neutrum audacter vobis polliceri queo: quod ſuauiter dicere, ſolius naturæ ingens donum ſit: vtiliter verò, accuratiſsimi judicij multæq; experientiæ. Singula hæc, quàm parcè naturæ Opifex in me contulerit, ego deuotas ago gratias: vos autem, qui omnia exactiſsimo auditus judicio ponderare conſueuiſtis, vel me tacente non obſcurè animaduertitis. Sed magis confido veſtræ præſtantiſsimi Auditores humanitati: & quâ me antehac abundè complexi eſtis, beneuolentiæ: quàm, cui parcendum eſſe ſcitis, naturæ meæ imbecillitati. Alterum eſt vos Viri præſtantiores, vos commilitones ſuauiſsimi: vt cauſam, quæ me ad dicendum hoc tempore impulit, exponam. Cùm enim ex hoc loco nonnullas quæſtiones ad politiam ſpectantes, ventilare apud me decreuiſſem: initium ab ea faciendum exiſtimaui, quæ de incommodis interregnorum agit. Eam antè hæc tempora, hoc in loco à me diſceptari audiuiſtis. Iam verò de cognata aliqua quæſtione dicturus eram: niſi tela propoſiti mei Diuinâ prouidentiâ fuiſſet abrupta: quâ in medio relictâ, aliò me vocat DEI Omnipotentis Clementia.

Ne verò acceptorum beneficiorum, quæ cer-

tè ma-

tè magna fuerunt, & immemor eſſe, & ingratus hinc diſcedere viderer: æquitati conſentaneum ratus ſum: ſi, quæ non exiguam ætatis meæ partem ſibi vendicat, Academiæ Patribus, Auguſtiſsimi huius Lycæi Profeſſoribus clariſsimis & digniſsimis, meisq́; quorum fauor me multum ſubleuauit commilitonibus, valedicerem. Ac quò id fieret commodius: de quæſtione, quæ hoc tempore non poteſt non eſſe auditu neceſſaria & ſuauis orationem, valedictioni præmittendam eſſe cenſui. Vtrum omnes Europæj Romano imperio: cuj tyrannus Turca exitium minatur, ſuppetias ferre debeant & teneantur.

Hanc enim orandi materiam ipſe Romani Imperij ſtatus, hoc tempore mihi ſuppeditat. Quo probè intellecto, tàm proceres, quàm eorum ſubditos de Patriæ ſalute & tranquillitate, ſollicitos eſſe conuenit: vt vterque quantum in ſe eſt auxilij, inclinato imperio ferat: ſiue armis, qui poſſunt: ſiue precibus, qui arma ſumere pro defenſione Patriæ nequeunt. De hac Quæſtione tenuiter, non pro dignitate cauſæ perorantem, vt me Rector Magnifice, Nobiliſsimi Equites, Reuerendi, Conſultiſsimi & Clariſsimi Viri, Academiæ Patres conſcripti, tuq́; ſtudioſa cohors nobiliſsima, literatiſsima, humaniſsima, benignè & áttētè audiatis, etiā atq; etiam rogo.

 Romano

ROMANO ET OMNIBVS EVROPAEIS Imperijs, ob nefanda hominum ſcelera, juſtiſsimo judicio DEVS, vltor peccatorum, jam pridem excitauit crudeliſsimum, & quaſi hæreditarium hoſtem in oriente mahometanum exercitum: ex fecibus & colluuie humani generis, latronum nebulonumq́; artificio & fraudibus Mahometi Arabis collectum. Qui paucorũ annorum interuallo tantas vires, tantumq́; belli robur acquiſiuit: cui nullum imperium fortiter reſiſtere, aut illud contere re potuerit. Hinc latronum ille exercitus, primò Arabiæ, poſtea Syriæ & Ægypti regiones occupauit: donec hoc mahometico exercitu in tyrannidem turcicam antè ducentos fermè annos conuerſo, omnis vis latrocinandi, caſtella, pagos vrbesq́; diripiendi, religionem cultumq́; veri DEI atterendi, ad Turcos deriuata fuerit. Hi enim ferociſsimum hominum genus, orti ex montanis locis ſuprà pontum Euxinum & mare Caſpium, catervatim in meridionales plagas effuſi, ſe cum mahometanis coniunxerunt: quibus fuſis fugatisq́, ac tandem ſuperatis, toto robore belli ad ſe translato, ſummam dominandi, ſæuiendi, ferro igneq́; vniuerſa longè lateq́; vaſtandi, poteſtatem nanciſcerentur.

Hâc inſtructi non ſaturati fuerunt prædâ ex fortunis mahometanorum in Arabicis, Syriacis & Ægyptia-

Ægyptiacis partibus, crudeliſsimè captâ: ſed defenſis acquiſitis, animo ad noua in occidentis regionibus occupanda, applicato: ex Syria progreſsi, regnum Trapezontinum ad extrema ponti Euxini littora ſitum, primò vî occupârunt: & vlterius verſus occidentem diſseminati, regnum Conſtantinopolitanum ſubiugare conati: quamuis ſæpius à Romano Imperatore, cui ſedes erat Conſtantinopoli in oriente fracti fuerint: viribus tamen denuò collectis atque recuperatis, illa latronum ſeges ſubindè reuertebatur: fines Romani Imperij impetebat: non prius deſiſtendum ſibi rata, quàm hoſtili obſidione antè annos centum quadraginta duos, parte Romani Imperij in oriente maximâ, potiretur, & expugnatam Conſtantinopolim, Conſtantino Palæologo in pugna cæſo, nobiliſsimisq; viris crudeliſsimè mactatis, in ſuam poteſtatem redigeret. His, etſi opimis ſpolijs, trux Turca neutiquam ſaginatus itâ fuit: quin ſuccedentibus annis vicinas prouincias, Thraciam, Moldauiam & magnam Vngarici regni partem famelicus abliguriret: poſt munitiſsima Vngariæ propugnacula Budam, Petum, Sigetum hoſtiliter, & antè annum Iaurinum fraudulenter nobis & doloſè prædaretur. Sic æſtuat perpetuâ acquirendi libidine: itâ cupiditate & auiditate rapitur: vt certò conſtet, eum intrà centum annorum ſpacium, ad ducenta milliaria re-

gnum ſuum verſus occidentem, magno cum Imperij Romani damno, dilataſſe: & jam propè Viennam vnius vix diei itinere diſtantem â Raba, caſtra metatum eſſe. Nunc, quantum Romano Imperio Turca hoſtis, plagam ab Oriente in Occidentem vltrâ quadringentorum milliarium ademerit: eripuerit Chriſtianis Iudæam & Syriam: eripuerit regnum Trapezontinum: eripuerit Græciam trans & cis Boſphorum: eripuerit Tranſyluaniam & Vngariam propemodum vniuerſam, videre cùm liceat: cùm hoc vnum agat, huc eius omnia ſpectent conſilia, hoc aſsiduè moliatur: vt Germaniam nobis dulciſsimam ſuæ tyrannidi ſubijciat & Romani Imperij nomen ſub ſole deleat: nonne hinc tibi corona illuſtriſsima dolor? Nonne Europæis omnibus luctus? Lugent & ingentia ſua damna & Principum fortiſsimorum caſum & occaſum. Iſte quidem cuneus & cumulus accelerantium tot malorum, ſi quos non mouet, eos valdè molles eſſe oportet, aut inſigniter duros. Et certè multum indefeſsis, adq; exitium noſtrum maturandum pertinentibus conatibus & incredibili pugnandi celeritate proficiet, niſi illi Dominus capiſtrum iniecerit: DEVS exercituum noſtro exercitui admixtus, pro nobis fortiter pugnauerit: & turcicam beſtiam non ſecus ac Midian, Senacherib, vel Siſſeran tractauerit. Hæc pericula dum audis Germania

mania

mania: dum hanc Romani Imperij deminutionem vos Europæi Reges & Principes videtis: adhuc conniuetis veſtro hoſti? Præſtolamini, donec vobis vicinus admoueatur? Fœdere dignamini horrendum illud monſtrum, funus humani generis Turcam, vaſtitatem interitumq́; rebus veſtris atrociſsime parantem? vos callida pacta ſeruatis in perniciem vicinorum veſtrorum? Videas hodiè nonnullos Europæos: qui inuidentes Romano Imperio ſplendorem & maieſtatem, ad arma contrà hoſtem non Germaniæ, non Vngariæ tantum: ſed totius, totius inquam, Europæ ſolicitati, vel nihil auxiliorum ſubmittunt, vel lentè mittunt, quaſi aliud agentes. Nonnulli promptitudinem animi facilè ſe oſtenſuros promittunt: niſi pacta ſibi & fœdera cum hoc, de quo loquimur, hoſte intercederent. Hi omnes, vel magnitudinem periculi non attendunt: vel in eam adducuntur opinionem, ſubiugatâ à Turca Germaniâ & alijs regionibus, hoſtem ipſis parſurum. O inanem perſuaſionem. O funeſtam Europæorum cunctationem. Cyclops, ille qui ſocios Vlyſsis deuorabat, eo videbatur Vlyſſem beneficio affeciſſe, quod alijs deuoratis ſe Vlyſſem vltimò deuoraturum, pollicetur. An non videtis vos Europæi communem Europæ regnorum Cyclopem Turcam? Qui exorſus in Iudæa, tot Principes, tot Reges & Impe-

rato-

ratores deuorauit: vos, magnâ cumulatos gratiâ putaturus: ſi pro hac immanitati ſuæ exhibita conniuentia, vel vlterius in Occidente, vel à latere verſus Septentrionem degentibus vobis mactatis, extremum rapacitati ſuæ colophonem, addiderit. O moram Imperio Romano & toti Europæ pernicioſam. Sed quemadmodum animoſus in caſtris Dux, audito hoſtium pugnæ ſigno, arma ſtringere, vibrare, ferire imperat: animo, oculis, auribus paratus ad omnem vincendi rationem & intentus. Vel vt mortales inſtante morbo & ſentientes magnum ſui caſum, ſalutifera declinandi mali remedia auidiſsimè requirunt. Itá, ad quod ſecundum DEVM potiſsimum confugiat, vnde ſalutis ſuæ quærat medicinam, præter arma aliud habere nihil, ſauciatam á Turca Germaniam, ſapientiſsimo animo ponderans DIVVS RVDOLPHVS Romanorum IMPERATOR glorioſiſsimus: ante annum, ad indicta Reginopyrgo comitia omnibus Germanici Imperij Ordinibus conuocatis, ſeriò de ſalute Romani Imperij & tranquillitate Germaniæ deliberauit: decreuitq; ſalutariter ex Romani Imperij Septemviris, Principibus, Ciuitatibus & vicinis Regibus auxilium accerſere: Turcæ, hoſti truculentiſsimo reſiſtere: Patriæ fines tueri: prouincias Romano Imperio ereptas Diuinâ gratiâ recuperare hoſtiſq; ferociam retundere. Quâ ſanè auguſtiſsimâ Auguſtiſsi-

mi

mi IMPERATORIS conſultatione,& ad tutandam Patriam Septemuiri cæteriq; Germaniæ Principes, promtiſſimo animo inuenti, in iuuandis IMPERATORIS armis, ſuam præclarè paratam fore operam, ſunt polliciti. Videbant enim laudatiſſimi IMPERATOR, Electores, Principes: omnem armorum & ſocietatis coniunctionem, ad propagandam & longè lateq; diſſeminandam laudis & Gloriæ Diuinæ Maieſtatem, aduerſus ethnicos, Veriq; DEI ignaras gentes, ſpectare. Intelligebant, hanc armorum ſocietatem aduerſus ſarracenicū hoſtem feruore pietatis ſuſceptam, Patrum, Pontificum, Cæſarum, Regum, Principum deniq; Chriſtianorum conſenſu & fœderibus ſuaderi, approbari. Animaduertebant hanc communem virium, exercitus armorumq; collationem fieri maximè pro Sacroſancta religione, pro fide Apoſtolica, pro defenſione Eccleſiæ, pro vindicanda libertate Chriſtianorum ſub immaniſſima turcici imperij ſeruitute miſerè detentorum: ad recuperanda hactenus amiſſa dominia, terram ſanctam, Patriā DOMINI noſtri IESV CHRISTI. Mouit hos Principes Patriæ ſuæ amantiſſimos, laus, quam ex defenſione Germaniæ ſunt habituri, ſempiterna. Excitàrunt eos copioſiſſimæ DEI OPT. MAX. remunerationes: quæ pro Nomine & Gloria CHRISTI deuouentes ſe, hoſtiumq; atrocitatem repri-

mentes vniuerſos,comitari conſueuerunt. Etenim, ſi, qui fuſo ſuo ſanguine veritatem Euangelij aſſeruerunt Martyres, nunquam intermoriturâ laude celebrantur. Si æternum fulſura eſt, quod non ſolum indomitis, nullâ religione imbutis & armorum potentiâ ſuperatis Germanis, Romani Imperij maieſtatem auxerit: verum etiam Chriſtianam eisdem religionem inſtillandam curârit, Caroli Magni Imperatoris gloria. Quantam nominis ſui ad poſteros claritatem tranſmiſſuros putatis? Nonne Martyrum nomine indigetandos? qui religionis defenſuri veritatem ab hoſte necantur: proq; domicilio veritatis nec vitæ, nec ſanguini parcendum ſibi eſſe, præter has, non leuibus certè rationibus ducti, arbitrantur.

Quid enim de temporis opportunitate? Nonne, quando ex certis prædictionibus & infallibilibus indicijs, vltimam imperio turcico periodum inſtare credatur, eam CAESAREAE MAIESTATIS & Procerum Germaniæ multorumq; vicinorum animos, ad ſocia arma capienda inſtigaſſe, dixeris? Venit ipſis in mentem accurata, immutabilis fatorum poteſtatis, circumſpectio. Mundo vt homini poſita lex eſt, mori. Nihil quod cernimus æternum. Omnia præter DEVM mutantur, mox peritura. Quia & ſol laborat, & Luna deficit, &

ſydera

ſydera cadunt, labuntur. Docuerunt hoc & docent anni præteriti, præſentes: qui & ob motus inſuetos negotium Aſtrologis, & ob coniunctiones pernicioſas toti orbi cladem & calamitates important ac minantur. Recollige multos retrò annos eorumq; conſtitutionem & curſum: inſigniter mutatos deprehendes: mutari indies & inuſitatas eſſe anni partium viciſsitudines: quin & fontes ac flumina, quæ perennitate quâdam gaudere credimus, nonnunquam perijſſe: aliquando alueum mutaſſe & conſuetum curſum deſeruiſſe, aliumq; aliò iniiſſe ac flexiſſe, apparebit. Terra, nobis vi ſuâ conſiſtens atq; immobilis quæ videtur, labat & tremore concutitur: alibi, aquâ aut igne corrumpitur. Vides hæc quamuis magna & multorum ſenſu æterna, ad interitum deſtinata corpora? Videbis & potentiſsimos in mundo quoſque: videbis & vaſta quæq; & faſtuoſa regna: quæ non minus occaſui obnoxia ſunt, quàm morti hominum genus vniuerſum. Hi infantiam ſuam habent, robur, ſenectam, mortem. Illa incipiunt, creſcunt, florent, ſtant, cadunt. Vbi Roma Imperatrix illa? Vbi ille domitor & dominator rerum Gentiumq; populus Romanus? Vbi Græcia florentiſſima? Vbi Carthago Romæ æmula? Vbi Ilii à Poëtis tantoperè celebrati gloria? Vbi Vngaria & quæ vſpiam viguerunt imperia, vbi ſunt? Diruta,

incenſa, inundata, afflicta jacent, conflagrârunt, interierunt, ſeruiunt: vt ſuo ea hodiè in loco quære-rere, ambitione vacare nequeat. Et ita rotabitur hic rerum in ſe remeantium Orbis, quàm diu ſteterit Orbis.

Sanè præter hæc, circumſpexerunt magnam veterum & neotericorum, hîc, niſi in immenſum cretura eſſet oratio, referendorum conſpirantium teſtimoniorum authoritatem: quibus iam iam rutum præcipitatumq; iri regnum turcicum, exprimere conantur. Conſiderârunt diligentiſsimam hiſtoricorum annotationem: qui regna hæreditaria cum dignitate & felicitatibus paternis: cuiusmodi eſt turcicum, haud, aut rarò quintum excedere, commemorant. Reuocârunt in animum indubitatas Politicorum rationes: quibus, quod ſcelere acquiritur: cuiusmodi eſt turcicum: (Turci namque, quo faciliori conamine ſeditioſi Bulgari ad officium reducerentur, à Conſtantinopolitanis Imperatoribus, anno à CHRISTO Saluatore 1300. in Europam accerſitos, nihil reuocare potuit, quò minus amœnitate & feracitate Thraciæ faſcinati in eius poſſeſsionem violenter & crudeliter inuolarent) quod metu & odio adminiſtratur: cuiusmodi eſt turcicum, fluxum & ruinoſum eſſe imperium, fixum eſt & immotum. Sarracenico imperio, poſtquam iam durârit annos nongentos ſeptu-

ptuaginta duos & ex Sarracenico & turcico regno vnum factum ſit, (Sarraceni, quadringentis annis in Syria, Africa, Ægypto & magna in parte Aſiæ imperitârunt: donec eorum Rex Perſiam tenens, contra Babylonicum, antè annos fermè quadringentos quadraginta duos, Conſtantini Monomachi tempore, Turcos tanquam vicinos, auxilium poſceret: qui ob denegata ſibi ſtipendia Caliphis Sarracenicis regnum ereptum, ad Sultanos Turcos tranſtulerunt) periodum finalem extremam minari ruinam, ſi quis ambigendum putet: eum Danielis Prophetæ, cuius fidem eleuare ſcelus eſt, moueat vaticinium: quo Monarchiam quartam ad finem jam jam deſituræ hominũ generationis, adq; propè imminentem mortuorum reſuſcitationem duraturam, palàm: ac proindè in poteſtatem Turcicam neutiquam peruenturam, tacitè pronunciat.

Horſum verò id pertinet, ut ſpem nobis faciamus firmiſſimam: quandoquidem ad extrema redacti & uelut DEI noſtri auxilio planè deſolati eſſe, hoſtibus noſtris videmur, ludibrio exponimur, ipſis interea calamitatibus hiſce noſtris magis magisq; inſoleſcentibus: IEHOVAM in apertiſſimo ſalutis noſtræ diſcrimine, haud nos deſerturum, ac potius maximis Chriſtianorum difficultatibus affuturum, proq; nobis & vnâ fortiter dimicaturum

 eſſe.

eſſe. Verum ut Omnipotenti Suâ Potentiâ, immediaté nobiſcum agere ſi decreuiſſet, poſſet ſtupendá & admirabili hoſtibus intercipere & extorquere victoriã ratione. Habemus huius rei exempla in Sacris quàmplurima. Itâ ſiquidẽ media præſtituit, per quæ nominis SVI Sanctiſſimj idq; profitentium oſores, contemtores & diabolicos perſecutores, Iræ ſuæ furore abſumere & virgâ ferreâ conterere conſtituit: ea ſummo cum feruore amplecti, omnem profligare ignauiam, ſocordiam omnem arcere & arma contra communem hoſtem communia atq; pugnã capeſſere, Europæis antiquiſſimum eſſe debet. Et fuit ſanè IMPERATORI ac Principibus Romanorum perſuaſiſſimum. Nam, cùm probè perſpectum habeant & cognitum, Turcam potentiſſimum hoſtem eſſe, nec debili eum manu terreri, ſuperariuè ab aliquo ſigillatim poſſe: uirtutem belliq; robur vniendum arbitrati ſunt: ut, qui à paucis vinci nequiret, arctiſſimâ voluntatum, virium neruorumq; conglutinatione, facilius ſuperaretur. Atq; hoc ipſis eò magis neceſſarium viſum fuit, quó minus ſibi vllum Romani Imperij membrum, ab hoc tyranno rapaciſſimo, immunitatem polliceri poteſt. Turca ſemper ſibi ſimilis: non alium Genium, quám quem obtinuit in Oriente, in Occidente eſt habiturus. Illius tyrannis depaſcitur vicinos quosq; & ſub iugum raptat omnes, inſatiabilis eius

dominandi

dominandi libido. Non ſecus ac olim anteceſſores occupatâ Palæſtinâ, vicinis inhiârunt: Ægyptum & Syriam ſubiugârunt. Subiugatâ Syriâ, vicinum regnum Trapezontinum & Antiochiam petiuerunt. His obtentis Conſtantinopolim inuaſerunt. Hâc occupatâ, non acquieuerunt in poſsidenda Thracia: ſed proximas quasque prouincias attrahendo, Macedoniam, Bulgariam, Moldauiam, VValachiam, Tranſyluaniam, Vngariam, turpiſsimæ ſeruituti ſubiecerunt.

Et prudenter hîc conſultârunt IMPERATOR, Electores, Principes: qui non ſimul omnia, verùm ſenſim pedetentimq; ſingula regna, ſingulos principatus & vicinas quasq; oras inuadentium: occupata benè & firmiter munientium, & vt acquiſitis ſemper aliquid addant, nunquam non ſtudentium Turcarum ingenium, iam olim exploratum habere didicerunt: dum præſentiſsimum & ceruicibus Chriſtianorum imminens periculum, communibus omnium Germaniæ Procerum, vicinorumq; Regum ac Principum armis repelli oportere, ſuamq; rem tùm agi, paries cùm proximus arderet, rebantur. Quis enim non cernit? paſsim agros miſerorum incolarum vaſtari, homines innoxios cædi, virgines fœdiſsimè conſtuprari, matronas periclitari. Mitto ſexcenta alia, quæ amant comitari tyrannidem & ſequi abomi-

nabi-

nabiles hoſtium excurſiones, ditionum direptiones cum ingenti & facultatum & animarum iactura, coniunctas. Quis veró ignorare poteſt? Turcam, licet multa cum multis ineat fœdera, fuiſſe tamen ſemper & etiamnum eſſe, pacis conuentæ ruptorem, violatorem & impudentiſſimum almæ fidei temeratorem: qui & erga quos & quousque velit, inuiolata rataq; pacta ſibi ſeruanda, ſtatuat. Hæc talia ſunt, quæ nunquam bonorum Principum memoriâ effluere debent: vt non modo ſuæ ſibiq; â DEO creditorum ſubditorum ſalutis curam ſuſtineant: ſed ne ob denegata fratribus & vicinis bellorum auxilia, ſpurca illis labes adhæreſcat, accuratam habeant rationem. Ecquis eſt enim Germaniæ, vel vicinorum Principum ac Regũ, ad quos non redundârint â Glorioſiſsima Domo Auſtriaca, beneficia & merita? Quis eſt, qui huius fauorem demereri nolit: vt in amico eius ſinu requieſcat? Qua de re Potentiſsimo Romanorum IMPERATORI, omnium Romano Imperio ſubiectorum ſtudia & officia impetrare, haud fuit difficilè. Pars enim pecuniam, neruum belli gerendi: pars equitum: pars peditum aliquot millia promiſerunt & lubentiſſimè ſpoponderunt: nec vllus in Germania eſt angulus, qui non ſummo Chriſtianitatis applauſu, communis ſalutis peſtem, propulſare dignetur. Sciunt omnes, hoc, quod pro aris &

focis

focis,pro patria & religione: neue, quæ iam cernitur in orientis partibus, Eccleſiæ Dei, Apoſtolorũ & omnium præclararum artium nutriculis miſerabilis vaſtitas, noſtras quoque inundet prouincias, eſſe ſacrum bellum, ſanctiſsimam eſſe expeditionem. Plenâ manu in aſtra tollitur Biblionæi Lotharingiæ Ducis antè annos quadringentos nonaginta duos, iuſſu Henrici IV. Imperatoris, ad recuperandam terram ſanctam, ſuſcepta expeditio. Qui aſcitis aliquot ex Germania, Gallia, Italia ducibus, magnum in Aſiam exercitum traduxit: partim Chriſtianos, qui ſarracenicâ tyrannide premebantur, in libertatem vindicaturus: partim Hieruſalem recuperaturus: templa repurgaturus: ſcholas planteria veræ religionis, in orientalibus locis inſtituturus. Quidni & noſtrorum conatus Principum magnis euehendi laudibus? qui iam aduerſus Turcas Romano Imperio, maiore quám Godefredus facilitate, at non minore alacritate ſuccurrere cupiunt: dum opera & auxilia eorum, non in regiones tranſmarinas tranſportanda: ſed in vicinam Vngariam, in fines Germaniæ educenda, implorãtur. Hoſtis enim non continetur hodiè finibus Palæſtinæ, Syriæ aut Natoliæ: ſed traiecto Bosphoro, permeatâ Thraciâ, peragratâ Bulgariâ & Vngariâ, fines Germaniæ, Germaniæ dico, in Styria & Auſtria depopulatur. Hîc nobis opus eſt ali-

quo Godefredo: qui alacribus Turcarum copias viribus aggrediatur, copias hoſtis profliget. Opus eſt aliquo Scanderbego: qui imperterrito incitatoq; animo, admorſis labris generoſo ſanguine ſpumantibus, hoſtem perculſum inuadat, exq; eo triumphum ducat magnificè. Talem virum militarem, DEI clementia nobis largita fuit Carolum Comitem Mansfeldenſem, Principem bellis & aciebus, incurſionibus & ſtratagematibus in Belgio & Hiſpania multis annis exercitatiſsimum, generalem Chriſtianorum exercitibus Ducem præfectum: vt is in Vngaria & diſciplinam militarem inſtauraret, ſingula prudenter aggrederetur & intentus in omnes occaſiones vires hoſtis debilitaret, videret, ne quid detrimenti Reſpublica caperet. Is heros, quot & quanta ediderit induſtriæ ſuæ præclara facinora: quid paulò antè, quàm vitam cum morte commutaret, molitus fuerit: quas hoſtis noſtri crudelitatem reprimendi, amiſſa recuperandi rationes inierit: quàm impigrè omnia fecerit, præter ſui ſuæq; ſalutis oblitum, hæc qui ignoret, puto eſſe nèminem. Atque vtinam diuturniore excellentiſsimo Heroi vitæ vſurâ perfrui licuiſſet, non minus hoc hoſti terribile, quàm fructuoſum toti Chriſtianitati, contigiſſet. At, ſiuè naturâ, ſiuè hominum peruerſitate è medio ſublatum Ducem itâ lugere oportet: vt ſemper meminerimus, Ger-

maniam

maniam impietate erga DEVM, malitiâ in proximum hoc promeritam, niſi ad officium & frugem maturius reuertatur, multò atrociora, ipſiusq; animæ, nedum vitæ fortunarumq; omniũ exitium & lamentabilis comploratiois iacturam, certo manere certius. Vt verò in piè vitá defuncti Militis Celebratiſsimi locum ſuffectus, pari virtute, pari dexteritate & felicitate bellum pro nobis ſuſceptum continuet, gerat, intimis DEVM OPT. MAX. à quo auxilium vnicè venit implorandum, gemitibus, humiliter precamur.

Huius DEI noſtri ductu ac inſtinctu, non Principes ſaltem Germaniæ cum Bohemis & Morauis: ſed multi Romanum Imperium vicinitate attingentes à Meridie, Occidente, Septentrione, aduerſus Orientalem hoſtem arma capiunt: pleriſque, qui in diuerſis mundi plagis jugo turcico nondum premuntur, in ſubſidium venientibus. Ac in Italia, tum Papa ipſe, tum Principes Italiæ, milite numeroſo & ad gerendum bellum probè exercitato, iuuant hanc ſacram expeditionem, ſuppeditant arma, commeatus & magnam pecuniæ vim. Hîc non Hiſpania ſubtrahit manus auxiliatrices: ſed requiſita à ROMANO IMPERATORE ſua quoq; arma cum IMPERATORIS iungere nolle, nefas eſſe arbitratur.

O vtinam benigniſſimus & miſericors DEVS Ve-

netis,Romanis,Gallis,Hiſpanis,Anglis & Belgis hâc mentem, hunc ſenſum, hoc propoſitum indideret: ut Europæ hoſtem claſſe inſtructâ & prælio marino aggredi,coniunctis viribus decernerent. Si hîc non ſumptibus, non nauigiis, non militibus parcerent: nullum eſt dubium,quin hoſte per mare mediterraneum vel laceſsito & ex Septentrione retracto: vel ad apertum Martem euocato, potituri ſint gloriosâ victoriâ, & Turca conſimilem ſtragem paſſurus, quam expertus eſt, cúm claſſe Venetâ ante viginti tres annos,oppugnaretur. Non deſunt his temporibus rei nauticæ peritiſſimi, non omnis generis inſtrumenta bellica: quandoquidem populi vel Adriatico & Mediterraneo mari,aut Oceano occidentali adhærentes, ipſius Neptuni filij eſſe,credantur. Si olim Galli Natoliam & Gallatiam inuadere: Si Hiſpani Indiam petere & ſuæ poteſtati ſubijcere: Si Angli vniuerſum orbem terrarum & circumfuſum Oceanum pernauigare & quicquid æquator continet luſtrare, non dubitârunt. Quæ ergò cauſa, quis ſtupor homines occupauit? quod iam hoſti aditum in Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam quærenti, non reſiſtant, non eant illi obuiam, viribus vndiquaq; collectis. Verùm ſpes nos certiſsima conſolatur, meridiem & occidentem re vrgente, infeſto orienti ſeſe oppoſituros. Et ediderunt iam præclara Itali,

Hiſpa-

Hiſpani auxiliorum ſuorum ſpecimina. Hîc non ſegnes ſunt, proditiones procul ſi abeſſent, Vngari. Non deſides, quorum Princeps Herculis vel Hectoris refert fortitudinem animiq; magnitudinem, Tranſyluani. Hi fortiter excuſſo jugo turcico, plurimis Turcarum & Scytharum interfectis, multum opitulantur Romano Imperio.

Quid verò boni conſultant Septentrionales? Certè Italiæ, Galliæ, viciniores: cuiuſmodi ſunt Belgæ & Germani, egregios ſe præſtant viros. Germani, cunctis ad bellum neceſſarium conquiſitis, ſcripto collectoq; milite, parato commeatu & bellico apparatu, coniuncti abierunt in Vngariam, eam ab hoſte liberaturi: quæ immanitate hoſtis erepta ſunt vniuerſa, pacem & tranquillitatem Patriæ, redditurí. Et ne foci & aræ, ne CHRISTI Eccleſia Principumq; dominia durius diuexentur, pugnatur contra hoſtem foris & domi, ſed diuerſo Marte. Foris quidem Ille, cui Romani Imperij cœlitus commiſſa defenſio eſt, RVDOLPHVS IMPERATOR, æterna Auſtriacæ Familiæ Gloria: Qui nihil non agit, vt pax Germaniæ reſtituatur, hoſtis procul abigatur, amiſſa ad Romanum Imperium redeant. Domi præliantur aduerſus hoſtes precibus & quotidianis ſupplicationibus ad DEVM omnes illi, qui nec arma ſumere, nec hoſtem inuadere animoſè queunt: aut ſi poſſunt, in Eccleſiarum, Rerumpu-

blicarum & Scholarum regimine collocati, nondum ſibi ab officio reſiliendum eſſe, intelligunt. Hi flexis genibus & mente ad deuotionem compoſita, ſingulas in horas ſolicitant DEVM, vt Patriæ fines tueatur, frænum hoſti inijciat, hoſtem procul arceat, quó eò redeat, vnde egreſſus eſt. Siquidem hic, non hominum ſaltem, ſed extremus DEI quoque ipſius hoſtis eſt: in id obnixè neruos intendens, vt noticiam Vnigeniti FILII DEI, Creatoris mundi & Redemptoris mortalium, radicitus euellat: Euangelium de SACROSANCTA TRIADE & noſtra ſalute aboleat, quiq; nomine CHRISTI vocati ſunt omnes, ad nefaria blaſphemaq́; Alcorani ſtatuta adigat, in ſeruitutem miſerabilem redigat, ſublatâ Pace, ſublatâ Iuſticiâ.

Quomodo verò Septentrionaliores ergà hoc ſacrum bellum animati ſunt? Horum aliqui, perpetuis ſtudent irruptionibus, communem noſtrum hoſtem adiuturi, ſcythæ: turba vaga, quæ latronum inſtar iterum iterumq; per Poloniam, ad Pontum fermè Euxinum tranſitu parato, turcicis ſe copijs coniungere, mirificè exoptat. Hoc genus hominum, vt nihil habet, itá alijs nihil relinquere conatur. At Moſcouiæ Princeps, non gerit ſe hoſtiliter ergà copias Rómanas: ſed cum Romanis Principibus, ambit coniunctionem.

Quid

Quid verò faciunt Poloni? Ad hos iam mea ſe conuertet oratio. Quid faciunt? Minus, quàm vel ipſa periculi magnitudo, vel vicinitas iure requirit. A ROMANI enim IMPERATORIS Maieſtate, ab Vngaris & Principibus quibusdam Germaniæ, ad capienda aduerſus Turcam arma, in comitijs Cracouiēſibus nouiſsimè inſtitutis inuitati, ancipites deliberârunt. Alij, moti partim communibus reliquorum ſociorum cauſis: partim ſpecificis rationibus impulſi, annuere videbantur. Facere hoc ad gloriam DEI ampliandam: ad religionem Apoſtolicam tutandam. Manere illos, qui ad hæc arma veniunt, ampliſsimam DEI remunerationem. Se inſtante periodo regni turcici, ad bellum vocari. Facilius hoſtem coniunctis, quàm diſperſis viribus domari. Cenſent tùm vigilare, cùm proximus paries ardet. Vident nefandas excurſiones & depopulationes. Intelligunt multum labis ſibi ſuæq; nationi aſperſum iri: ſi vocati ad ſacram militiam, malint cum Vlyſſe littus domi arare. Vallachiam fide olim ſibi obſtrictam, hoſtiliter ereptam dolent. Iuuentutem bello exercendam ſtatuunt: ne ſub bellicoſiſſimo Rege Stephano milites & ſtrenui equites effecti, otio & ignauiâ pigreſcant. Vident numeroſæ ſuæ nobilitatis, quæ infinitè multiplicata auctaq; eſt, Poloniam amplius non eſſe capacem. Niſi ergò ex nobiliſſimis

juue-

juuenibus colonos & opiliones efficere velint, & id agere, vt Nobilis à ruſtico, ab Equite plebeius parum differat, perquam neceſſarium eſſe, colonias aliquando deduci: quod aut hâc oblata occaſione commodè fieri poſſit, aut nullâ aliâ. Gratificandum quoque putârunt, Illuſtriſſimæ Domui Auſtriacæ: quam affinitatis & vicinitatis propinquitate Regem ſuum Sereniſsimum attingere, perſpectum habebant.

Sunt harum cauſarum momenta, tam ponderoſa, tamq; valida: vt omnibus religionis & ſocietatis amantibus, copiosè ſatisfacere poſſint.

Hæc, quantum pietatis, dignitatis: quantum vtilitatis neceſsitatisq; contineant, ſi tibi ob oculos ponere tentarem Corona ampliſsima: vox & dies opinione tuâ, voluntate meâ citius, me deficerent. Rationibus his Reverendiſsimos, Illuſtres, Sapientiſsimos & Prudentiſsimos Viros dubio procul motos, exiſtimare debes: quibus patriam regendi domi modus, & hoſtem depellendi foris ratio, magnoperè eſt explorata.

Nonnulli verò his, quæ DEVM & religionem: quæ patriam & eius incolumitatem: quæ Socios, Vicinos eorumq; ſalutem reſpiciunt, poſthabitis, nulla ROMANO IMPERATORI auxilia hoc tempore ferenda eſſe rati, ne absque rationibus conſultare, vel auxiliares copias denegare viderentur,

tur,

tur,hæc ſibi obſtare arbitrabantur. Cautiones ab IMPERATORE: iuramenta vtrinque nondum præſtita. De executore ſocietatis nihil certi conſtitutum. In campis latè patentibus, ad prædam hoſti expoſitis, longinqua auxilia præſtolari: exercitum ex Polonia educi periculoſum. Se ſatis hoſtium in Septentrione habere. Militem eductum ob diuerſitatem nationum, religionisq; diſparilitatem, rixis obnoxium: ob multitudinem verò penuriæ, peſti. Deſtitui ſe apparatu diuturno. Fœdus nondum apertè ſibi à Turca renunciatum. Fidem etiam hoſti ſeruandam: & in rebus dubijs tutiſsimum conſilium eſſe, cunctari.

Hæ ſunt ni fallor Polonorum rationes IMPERATOR RVDOLPHE, vosq; Principes Germaniæ: quibus inducti, vobis in auxilium venire recuſant. An non agnoſcitis has vobis eſſe rationes Poloni? Qui, ſi plures habetis, certè his meliores futuras, non arbitror.

Quæ earum rationum meminit Chriſtianitatis? Nulla. Quæ Euangelium de CHRISTO: quæ eius venerandum nomen tutandum ſtatuit? Nulla. Quæ ſocietatem vel cum Italico ſolo, vel Romano Imperio colendam cogitat? Nulla. Quæ afflictorum Vngarorum: Quæ oppugnatæ Germaniæ curam ſuſcipere ſuadet? Nulla. Nulla eſt, quæ DEI, quæ religionis, quæ ſocietatis humanæ,

D nx,

næ, quæ ſalutis Romani Imperij, recordetur. Si vos Godefredus in Syriam ſolicitaret, iretisné? Non credo: recuſatis ire ad vicinos veſtros Germanos, Tranſyluanos. Si Conſtantinus vos vocaret contra Licinium, hoſtem Chriſtianorum in Italiam, iretisné? Non totus mundus hoc credat: qui toti à Turca oppugnatæ Chriſtianitati ſuccurrere, iam ambigitis. Siccine DEI? Siccine religionis & fidei Apoſtolicæ? Siccine ſociorum? Itané propriæ ſalutis obliuione vos capi, conueniebat? Putatisné veſtrum imperium & religionem, ſi Turca Germaniâ potiatur, apud vos ſaluam manſuram? Germania vobis eſt propugnaculum inuictum ab Occidente. Dicitis. Si Polonia eſſet Germania: jam pridem à Turca ſubiugatam aut maiores noſtri vidiſſent, aut nos videremus. Probè hîc ſentitis. Occupatis enim vrbibus & propugnaculis munitiſsimis, vobis hoſtis vicinior fieret, veſtramq; Poloniam non eà parte aggrederetur, vbi ſolitudinibus & vaſtitatibus armata: ſed quâ in parte verſus Germaniam eſt cultior, & oppidis inſtructior.

Sed quæſo, expendamus aliquantò ſingula denegati auxilij fundamenta. Quid enim vitij in ſe contineant, dum nec DEI, nec fidei, nec Chriſtianitatis, nec ſocietatis amandæ recordentur, id iam audiuimus.

Quod

Quod ab IMPERATORE ROMANO nullæ vobis cautiones præſtitæ ſint, veſtra videtur impedire auxilia. Non dubitabitis, Romanum Imperium tam fidum vobis fore, vt non interuenientibus multiuarijs cautionibus, ita poſtulante periculo, ſuâ ſponte vobis ſit ſuppetias laturum. Si verò & hîc deſideratis cautiones, non abnuit eas: expectat potius, quas vos, modo legitimo, eſtis flagitaturi. Nolite malè ominari: ne, dum auxilia differtis, donec ad votum cautiones præſtentur, belli Turcici moles in vos conuertatur. Hoc enim caſu, ſerius ab illis auxilia peteretis: quibus veſtra ſummo in periculo conſtitutis, denegata fuiſſent.

Geſsiſtis bella contra Turcos: Bellaſtis contra Moſchos: at in illis Germanorum militum auxilia, præſto vobis & parata fuerunt. Quod ſi factum: quomodo tum auxilia vicina, iam remota eſſe queunt? Nihil remotum cenſendum, quod in maximo periculo vicinum eſt. Nihil vos ſubleuat Rhodiorum exemplum, ſub poteſtate Venetorum olim, jam ſub imperio turcico degentium. Tantum enim interuallum inter vos & Germanos, Vngaros, Moldauos, quibus ab occaſu & meridie cingimini, nunquam interijcietur.

Non conſtare vobis de executore ſocietatis, ſi Romanum Imperium vobis, non paria ferret auxilia, dicitis. Præmatura hæc eſſe videtur de-

liberatio. Quæ enim cauſa vobis dubitandi anſam præbet? quod minora vobis à ROMANO IMPERATORE, quam HIC à vobis, polliceamini. Nam vti non in bonum virum: ſic, nec in optimum vicinum, cadit ſuſpicio. Et num vnquam ſic infideles vicinos, experti fuiſtis?

Satis vobis hoſtium eſſe in Septentrione affirmatis. Præter Moſchos non nouimus. At æquè vobis infenſus eſt Oriens: in quo tàm Tartari, quam Turcæ, vobis ſunt hoſtes iurati. Illi ſuprâ: hi infrà pontum vos vellicant: vt vos, quemadmodum Seruiam & Bulgariam, in ſuam poteſtatem redigant, hoc vnicè operam dant. Vtinam Septentrionalem duntaxat haberetis hoſtem: non timendum vobis magnoperè foret ab illo, nec vnquam vobis ille tantum, quantum Orientalis noceret: & ne plus damni inferat, diligentiſsimè proſpicite. Nihil enim magis optat Turca, quàm vt vicinus veſter in Tranſyluania, in Moldauia fiat. Quod dum molitur, & per anfractus ad vos properat, nemo eſt, qui id ſeriò intelligere videatur. Sed alia ratio arguit pauorem.

Si è Polonia duxeritis exercitum, hoſtis vos à tergo adorietur. Vt omnis miles educatur: veſtra regio denudetur: & ne iniquis poſtulationibus IMPERATOR notetur, nunquam hîc vos plus æquo largos concupiuit. Non hoc IMPERATOR petit:

Non

Non Romani Proceres. Auxilia veſtra petunt, no exitium quærunt. Cupiunt partem exercitus, non vniuerſum. Eos flagitant, quos præſidia veſtra capere non poſſunt. Nobilitas veſtra, tanta cœpit incrementa, quanta limites Regni Polonici capere, non ſufficiunt. Coloniam nobilitatis educendam putatis. Hanc petit Romanum Imperium: vt ea, quæ vobis eſt oneri & fruges in otio conſumit, in bello amicis veſtris vtilis ſit. Et, quem vſum habet ille apud vos ingens manipulus ſatellitum? in quo nobiles ſerui, nobiles dominos comitantur. Vbi videre eſt ſæpè, nobilem virum non admodum ſplendidæ fortunæ, triginta, plus minus manipulares pone ſequentes cingere: quibus domini multoties non habent, quod expediĕdum committant. Quomodo verò coloniam nobilitatis transferetis: cùm extra limites Poloniæ, militem neutiquam educendum putatis? Vt Coloniæ ductæ locum occupent fertilem, incolæ ex fertiliore loco ſunt expugnandi eijciendiq;. Populus DOMINI nouam terram poſſeſſurus, bellis eam acquirere, cogebatur. Hinc innumerabilia bella Moſes, Ioſua & Iudices Iſraelitici, vt locum Canaan ampliarent, geſſerunt. Vos autem coloniam ducere decreuiſtis, hoſte non profligato. Non hoc animi erat Alexandro Magno: non Romanis olim: qui, ſi in Latij, ſi in Italiæ locis cognitis deliteſcere voluiſſent:

nunquam ad Imaum vſque regnum ſuum dilataſſent. Et quid hoſtis noſter? Num loca duntaxat nota adire conſtituit?

Metuitis militem ob diuerſitatem nationum, religionisq; diſparilitatem, rixis implicandum. Metuitis ob multitudinem penuriæ & peſti exponendum. Non vanus metus. Sed quis eſt Regum, quis Principum Europæorum? qui robori turcico ſatis fortiter, milite ex vna natione collecto, reſiſtere poteſt. Si aliquo in loco hæc cauſa reponenda eſſet: non jam Germani cum Vngaris, & Bohemi Italiq; cum vtrisq; coniuncti, manu conſertâ contra Turcam bellum gerere decreuiſſent. Et quid diſparius videtur, ſi Belgæ & Galli cum Vngaris coniungantur?

Rixas diſciplina bellica tollit. Surgat alter Mansfeldicus: qui militarem diſciplinam reſtituere conetur. Prodeat alter Caius: cuius filius quod ſub tempus æſtuantis ſolis, equum ſitientem ad præterlabentem fluuium contra decretum patris deduxiſſet, immotam ceruicem præbuit amputandam.

Penuriam & peſtem, ne patria quidem loca abigere queunt, Hanc, ſi DOMINI vindicta immiſura eſt, non niſi preces auertere poſſunt. Illam, comparati commeatus pellunt. In militiam, non in campos Elyſios vt miles educatur, qui ſitim

& fa-

& famem, qui frigora & æſtum ferre didicit, rogatur. Ecquis tàm rerum ignarus eſt, qui neſciat, apparatum diuturnum, ad continuãdum bellum, requiri? Verum enimuerò, vt tanto hoſti vnus Princeps reſiſtere non valet: ità nec exercitui, ex multis nationibus collecto, commeatum ſatis neceſſarium, vna prouincia ſuppeditare poteſt. Quæ enim ratio eſt colligendi exercitus, eandem parandi commeatus eſſe, putabitis.

Diſparitas verò religionis, vos quomodo morari poteſt, quo minus prompti ad arma feramini? Quis hîc in cauſa? Illine? qui à ſanctiſsimo CHRISTI verbo diſcedunt, ſuiq́; cerebri & hominum opiniones ſectantur: An, qui verbo SERVATORIS tenaciſsimè innituntur. Vtinam omnes Europæi illius verba intemerata crederent, ſuamq́; iuxta illa fidem conformarent, quam ore profitentur, omnes. Varietas enim religionis, non varijs opinionibus componenda: ſed omnes opiniones ad illum Diuinum Canonem examinandæ.

At aitis: Turca nobis apertè fœdus nondum renunciauit. Dum viciniam veſtram populatus eſt: dum peregrinum ex Scythia accerſiuit militem, qui vi per veſtram regionem perrupit: bonam eius partem ferro, igneq́; vaſtauit, diripuit, exinaniuit & multa millia hominum & pecorum abegit, nunquid fœdus ſeruauit? Facto, facto ipſo

non

non verbis ſatis declaratum voluit, ſe hoc fœdus pro nihilo, in optatis potius habere, vt per vocatos Scythas, vobis & Romano Imperio, damnum irreparabile, inſeratur.

Et, quâ cautione ſatis firmâ, quo fœdere atq; execratione deuincturi ſitis immanem & ſceleroſum hoſtem: cui per legem mahumeticam procliue, ſolutum & liberum eſt, quoties ſibi profuturum putat, iuſiurandum relinquere & violare: &, qui iam dictâ lege, etiam teneatur ipſemet, contra Chriſtianos tribus exactis annis expeditionem facere, ego non video: vtut factum Scytharum à Turca in ſubſidium vocatorum, lenire & excuſare conemini: quod non tam belligerantium fecerint, quàm latrocinantium more, impreſsionem: cùm nemo adeò excors inueniatur, vt credat: Tartaros factâ per veſtras regiones perruptione, alium, quàm ſe cum Turca coniungendi, quàm vobis & Romano Imperio nocendi & auxiliares Turcæ manus ferendi, animum habuiſſe. Si ſpolia ſaltem abducere conſtituiſſent: illis acceptis, in Scythiam reuerſi fuiſſent.

Limitanei milites Coſacci, traiecto antè paucos annos Neſtero, oppidulum diripiebant. Hoc facto, fœdus à vobis fractum dictitabat, & in regnum veſtrum impreſsionem, moliebatur. Vos, hoc propè catholico Europæ periculo, expectatis ſolen-

ſolennem à Turca renunciationem. Deſiperet profectò vehementer, id ſi faceret, ſuæ alieniſsimo Reipublicæ tempore. Mauult cum ſingulis, quàm cum coniunctis bellum gerere: vt ſingulis deuictis debellatisq;, omnium imperio potiatur.

Verùm, terret vos exemplum cæſi Ladislai, veſtri & Vngarorum Regis. Terreat maximé, quod DEVS vltor, in fœdifragos animaduertere conſueuit. Malè illius in medium clades adducitur. Is ſiquidem, factum ad decem annos cum Amurate fœdus, ex Europa in Aſiam eo traijciente, ſuis neque finibus oppugnatis, neque amplius bello Seruiâ, Moldauiâ, Tranſyluaniâ & Vngariâ implicatis, fregit: nullâ aliâ causâ, quàm iuuenili adductus alacritate: cui fortunæ blanditijs perſuaſæ ſemper vincere & recuperato Byzantio ſe beatiorē reddere, jucundum videbatur. Verùm, quando Turca fines Aſiæ tranſiliens, totam belli molem educit in Europam: non cedit Moldauiâ, Valachiâ, Bulgariâ, Tranſyluaniâ, Vngariâ: ſed haſce regiones infeſtat & caſtra in finibus Germaniæ collocat, diuerſiſsima eſt ratio. Vbi relictis Europæ regionibus, diſceſſerit in Aſiam, noſtram non vaſtaturus Europam, tardius à vobis auxilia poſtulabuntur.

Fidem cenſetis ſeruandam hoſti. Non malè id dicitur. At, quam fidem? Nunquid eam?

E quam

quam dediſtis Turcæ contra Romanum Imperium: contra Euangelium CHRISTI: contra tranquillitatem Europæ: contra Germaniæ ſalutem. Non arbitror vos talem dediſſe fidem. Poteſtne enim vllum Chriſtianitatis regnum pactum ferire, aut percuſſum ſeruare cum Turca, quandò, modò quæ diximus ſingulis, moliatur exitium? Qualis verò illa fides, quæ in conſtituendo fœdere, partium iam enumeratarum, nullam habet rationem? Fasne eſt oculo paciſci cum lapidibus, vt hi liberè pedes offendant? Honeſtumne eſt pedibus paciſci cum fruticibus & arborum ramis, vt impunè oculos iter facientium verberent? Licetne Chriſtianis, cum hoſte Chriſtianitatis? Integrumne eſt Europæo, cum pernicioſiſſimo Europæorum hoſte fœdus icere? Fœdus vobis eſt cum Turca: Poteſt igitur is, iuxta fines veſtros, vobis interea aduentum hoſtis ex alto ſpectantibus & ad eius tranſitum conniuentibus, per Moldauiam, Podoliam, ſupra Tranſyluaniam in ipſum Germaniæ ſinum admitti: non opus eſt eum per Vngariam ire.

Quapropter, cùm toti Europæ, Romano Imperio, Euangelio IESV CHRISTI nocituram fidem, nunquam hoſti dederitis, eam, quomodo ſeruare poteſtis? Si fœdus pacti eſtis contra hoc, fœdus eſt contra DEVM, contra proximum.

At de-

At dedimus fidem, vt noſtrum regnum pace fruatur. Rectè. Nemo ſiquidem adeò conſilij expers eſt, vt non ſtatuat, bello pacem vtiliorem eſſe: ſed piam, æternam, & quæ nihil habet inſidiarum. Niſi enim pax ſit tranquilla libertas, non eſt pax: ſed pactio ſeruitutis. Et, nunquid pacem regni veſtri, pace CHRISTI, incolumitate Chriſtianorum, potiorem arbitrabimini? Nonne bonum itâ conſectandum erat, vt cum omnium vtilitate coniunctum, videretur: malum amoliendum, quod non ſolum vobis, ſed religioni & toti adeò Chriſtianitati, ingens ſecum trahit & horrendum periculum? Siccine inter vos & Turcam fœdus initum eſt, vt tantum vobis benè ſit, quomodocunq; Chriſtianitas & vicini veſtri, infeſtentur?

Rubenitæ & Gaditæ, cùm iam vada Iordanis acceſsiſſent, petebant ſe cis Iordanem relinqui: metuebant bella poſt Iordanem. Sed ad hos, Diuinus ille Dux Moſes. Num fratres veſtri ingredientur pugnam: & vos manebitis hic? Sic Romani Proceres egredientur contra Turcam pugnaturi: & vos Poloni manebitis intra fines veſtros? Audiunt illi. Quare frangitis cor filiorum Iſrael, ne tranſeant? Audite vos Poloni. Quare frangitis cor, veſtris deſtitutorum auxilijs, Principum Romanorum, veſtrorumq; ſociorum?

Dixerat alibi Dux Iſraeliticus Moſes. Accin-

ctiarmis, ite antè fratres veſtros, quotquot robuſti eſtis. Idem vobis occinitur: Poloni quotquot robuſti eſtis, accincti armis, ab Europa depellite hoſtem. Deborâ contra diuerſos populi DEI hoſtes pugnante, Ruben varijs conſilijs diſtractus, balatus gregis auſcultabat. Gileat, ſua curabat. Dan, nauigationibus diſtinebatur. Hos æterno opprobrio, notat Deborâ. Merozenſes, apud quos pugna committebatur, non ſuccurrebant Deboræ. Quid hæc ad illos? Maledicendo maledicite filijs Meroz: qui non venerunt in auxilium Iehouæ, contra fortes. Cauete Poloni, ne hæc fulmina DEI vos tangant: ne diræ in vos ſtringantur: quod in auxiliũ DEI contra fortiſsimum hoſtem venire, recuſaſtis.

Liceat mihi quæſo pace & veniâ veſtrâ quærere. Si certa noſtris à clementiſſimo DEO deſtinata eſſet victoria: perſeuerandumne eſſe vobis ſtatueritis, in hac veſtra, veſtri quo minus ciues noſtris iungantur militibus, prohibitoria voluntate? Prudẽtia veſtra ſingularis me, hoc ne credam, admonet: quin potius ſtatuam, neminem adeò veſanum reperiri, cui ſolutâ eligendi optione, non magis arrideat, explorata certæ libertatis, quàm captioſa tributariæ & lubricæ, cum perfidioſiſsimo tyrãno, ſocietatis conditio. Iam, ſi cui propoſitum eſt Polonos dehortari: ne aduerſus internecinum Chriſtianorum hoſtem, armorum cum noſtris ſocietatem

tem componant: is profectò, & quam in partem armorum exitũ magis timeat, prodit: & ſaluti rerum Chriſtianarum, Polonorum etiam copijs auctarum deſperare ſe: adeoq; vnicam ſalutis & fortunarum tutelam firmiſsimam putare oſtendit pacem eam, quam pepigit is, qui Poloniæ, quam dudum ſpe & animo abſorpſit, qualia olim dicturus, quidue, quod ſecum ipſe iam decreuit, facturus ſit, non exprimo: ne videar veſtro regno malè ominari: cui benè precari, ſemper fuit animus: vel veſtræ in promouendis ijs, in quibus ſalutis polonicæ ſumma poſita eſt, perſpicacitati, diffidere.

Atque cùm illa, tùm hoc conſideratioris eſt conſilij. Vtrum tutius & ex re veſtra magis ſit: vos Chriſtiano exercitui iunctos, cum hoſte communi & fœdifrago, viribus ac neruis Chriſtianitati adhuc impare, in tam præclara ſpectabilem victoriam acquirendi fidentia, viriliter congredi ac decertare: an deſertis Chriſtianis commilitonibus: qui nec vincere nec vinci ſine periculo veſtro queunt, incertum pugnæ euentum expectando, fortunæ conſilia applicando ac mediam atque tutiſsimam conſilij viam ac rationem eſſe quieſcere, arbitrando: paulò poſt, nullâ victoriæ relictâ ſpe, & omni vtiliter pugnandi commoditate ereptâ, turpiſsimo hoſti, multò quàm ante magis, ex deuictis (quod tamen omen miſericors DEVS in ipſum

couertat) Chriſtianis ſuperbienti, belluinam tyrannidem & immaniſsimam crudelitatem exercenti, fractis ac demiſsis animis, ſupplices & prædam fieri: atque ob armorum in horribili totius Chriſtianitatis diſcrimine abſtinentiam, acerbiſsimas pœnas luere, ac triſte illud elogium, ſerò ſapiunt Phryges, lamentabili voce concinere: & à victore in circumuentos ac ſubiugatos tyrannicà improbitate inſultante, magno cum animi dolore audire: Polonos, niſi cruribus fractis, perire non potuiſſe: Phrygemq; plagis fieri meliorem. Talia accepimus fuiſſe conſilia, quæ Græciā euerterunt: cuius funeſtum malum vos meritò, niſi paria experiri mauultis, cautiores reddere debebat.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Et,
Alterius damno qui ſapit, ille ſapit.

Viuit apud vos Gabriel Ioannicius, vir Aſtronomiæ literatè peritiſsimus, eiuſdem in Academia Cracouienſi Profeſſor publicus. Is in judicio huius anni ex aſtris deſumpto, inter alia Poloniæ quæ portenduntur, non minus ſapienter & doctè, quàm verè vos ad arma contra Turcam vocare videtur. Repeto illius verba, cùm ad rem non parum faciant & plurimum momenti contineant.

Libidine, inquit, dominandi inflata, & ſucceſſu elata gens Turcarum, cumq; ijs feritate nobiles Scythæ, anni principio metum ſui, occidenti incuti-

incutient: valetudine, facultatibus, amicitijs, ſocietatibus freti. Vereri oportet, ne in Chriſtianorum fines excurrant: qui ſibi animo vniuerſum orbem deſponderunt, imperiumq; occidentis ad ſe pertinere aiunt: quod Solimannum dicere ſolitum, iactareq; ſe Conſtantini Magni legitimum ſucceſſorem, ſcribit Iouius. Sed ſi concordia inter Chriſtianos erit, vniuerſiq; non ſuæ gloriolæ, ſed Eccleſiæ vtilitati velint hac in re inſeruitum: nihil profecerint. Non ſolum occidentis imperium non aſſequentur: ſed & orientali priuabuntur, qui hoſtes plures domi, Chriſtianorum gentis captiuos reperiant, quàm in regnis catholicis eſſe putant. Autumno de ſuperbia illis nil decedet, quæ illis maior, quàm vniuerſa fortitudo eorum. Gerent ſe minaciter, vaſtationem ac populationem crepabunt: ſed non multum egerint: ſignificatore omnibus viribus exuto. Eorum verò fraudes nemo contemnat, nemo ſit ſecurus: cùm oporteat eos, qui hoſtem perpetuum ac iuratum habent, omnia ſuſpecta habere: diceréq; cum illo Virgiliano Laocoonte in re dubia: Quicquid id eſt, metuo Danaos, & dona ferentes. Pacem polliceri non poſſum, non debeo, nolo. Stulti enim fuerit, cùm proximus ardet Vcalegon, non putare ſuam quoque rem agi. Decipimur mendaci promiſsione dicentium Pax, pax, & non eſt pax. Quid vobis & paci?

paci? Non eſt pax impijs, dicit DOMINVS, vt iam illa politica his Theologicis concludam. Excitare igitur homines malo: vt ſicuti ſapientes pacis tempore cogitant bellum: Ità illi armorum hoſtilium viſo iam ſplendore, ipſi quoque verua rurſum & falces in haſtas & gladios reſtituant: deq; galeis nidos gallinarum eijciant, arma induant, equitent, ſcopum feriant. Nam quæretis quid de victoria ſentiam? Dico citò. Facilè eſt vincere non repugnantem. De victoria igitur nihil ſcribo. Conabuntur ſe (Poloni) quádam rei benè gerendæ ſpe illecti, erigere: ac hoſtibus formidabiles videri. Sed hæc oratióne omnia erunt illuſtria & magnifica: re, tenuia & abiecta: quorũdam vel errore vel vitio, qui ſalutaribus conſilijs anteponent ſua, alia.

Conijcio id è Saturni ſimulato conſenſu, in locis cœli minimè felicibus afflicti. Hi ergò nimis hoſtem contemnent, illi nimis efferent: hi omnia pollicebũtur, illi cunctabuntur: hos ſecuritas perdet, illos diffidentia, timentes hoc agi forſan, ne tributa emungantur: alij otio & ignauià leges obijcient præſcribentes quà teneantur ſe defendere, quâ non. Ridiculum: ſed numqua lex eſt, quâ teneamini capi, vinciri, abduci, ſeruitutem ſeruire? Viris inſignibus timeo, ne illos morbi á ſiccitate profecti á rebus gerendis impediant. Æſtate omnis illis fortuna ex omni parte affulgebit: cuius inconſtantiam

tiam, ſi memoriâ tenuerint, non inſoleſcent: ſed cùm domeſticis diſſenſionibus abſtinebunt: tum ſe contra communem hoſtem armabunt & conabuntur: vt quanquam oppugnentur, quanquam varijs artibus tententur, inter ſe animis coniuncti ſint: hoſtiq́; vel iuranti nihil credant. Ac ſi primores magiſtratus dormitare videantur: vt inferiores illis, ad ſalutem patriæ conſeruandam, cogitationes ſuas conuertant: etiamq́; illos à quibus excitari debebant, excitent potius quàm vt ipſi dormitent. In periculo enim patriæ neminem decet eſſe negligentem: ſed omnes ceu ad commune patrimonium defendendum, omni alacritate atque fide concurrere.

Hactenus ille: cuius monita ſi pondus, vt par eſt, apud vos habuerint: non tantum modò à nobis pertractatas, vos remorari quæ viſæ ſunt, cauſas, deſuper habebitis: ſed nec prægnans & pro vobis nonnihil militans, dignitatis aliquid obtinebit ratio, quæ cunctandum in rebus dubijs ſuadet.

Quid enim hoc eſt per DEVM immortalem? Cunctandam eſſe cenſetis. Sed quando? Sed quibus in rebus? In dubijs dicitis. Eaſne res vocatis dubias: cùm Tartarus limites veſtros inuadit: veſtros depopulatur agros? Eam rem dubi-

nos veſtros Tranſyluanos: contra Vngaros & Germanos conuertit? Dubiane hæc res eſt: quod Turca in Vngaria munitiſsima præſidia occupârit, & vicinius veſtris aruis caſtra admouerit: Hancne rem dubiam appellandam putatis: cùm hoſtis incredibili celeritate & immaniſsimâ vafritie, obuia quæq́; ſternere, vicina quæq́; occupare, inq́; ſuam poteſtatem redigere attentat? Poteſtisne hanc dubiam vocare aleam: cùm Turca in Europa Euangelium de IESV CHRISTO extirpare, CHRISTVM Saluatorem blasphemiis flagellare, Nomen eius maledictis conſpurcare, & Chriſtianos in miſerrimam abducere captiuitatem, conatur? Videtis veſtros vaſtari agros: veſtra dominia vobis eripi. Videtis vicinos veſtros oppugnari: munitiones expugnari. Videtis regnis Europæis, Chriſtiano orbi perniciem: Euangelio CHRISTI & Chriſtianis omnibus cladem parari: & vos putatis cunctandum eſſe? Si cunctari eſt animus, fiat, vt cunctando reſtituatis Germaniæ pacem: vt veſtro viciniſq́; regnis incolumitatem.

Bellum feliciter perficitur celeritate, aut cunctatione: inter vtranq́; ſummâ dominante prudentiâ & circumſpectione. Vbi ineuitabilis affertur neceſſitas, & ſpes affulget victoriæ repentina, celeritate opus. Si pericula ſucceſſiuè creſcunt, nec citius ſperari poteſt pax, laudem meretur cunctatio.

Cuncta-

Cunctabatur prudentiſſimè Fabius Maximus : at ſuam opem, ſua conſilia Senatuj Romano non ſubtrahebat. Cunctabatur non deliteſcens intra mœnia : ſed foràs progreſſus, iniecto ſuâ præſentiâ pauore hoſtibus : cùm per montana exercitum duceret, & vrbes, quas Hannibal cœperat, ad defectionem ſolicitaret. Cunctabatur in procinctu Scipionis conſiſtens, non cõmittendo prælium, ne ſubito miles attereretur. Si verò Scipionem ſuperandum ſenſiſſet; haudquaquam cunctatus fuiſſet. Noluit ſine cauſa prælio inito, fortunam armis tentare : ſed maluit Scipioni milites conſeruare. Nihil vos iuuat cunctatio Fabij: quod nõ eo cõſilio, non eo in loco cunctandum ducatis. Cunctatus eſt Fabius, Dux belli conſtitutus, conſcripto & educto exercitu contra hoſtem, collegam adiuturus, militem conſeruaturus, collegâ cum hoſte ſæpius confligente. Vos cunctamini nullo conſcripto, nullo educto in Germanorum auxilium milite. Cunctamini non egreſsi in Vngariam, ſed domi manentes: non adiuturi ſocios belli: non conſeruaturi eductum militem. Cunctamini nihil ab hoſte recuperantes; & illo tempore cunctamini, quo maius periculum eſſe nequit. Toto cœlo differt veſtra, à Fabij Maximi cuncta-

coniuncta: non ſuſpecta de timiditate, de ſua tantum vtilitate.

Cæteri cunctatores, qui malunt à Solymannis patres, quàm ab Europæis fratres & ſocij appellari, nobis non faciunt quicquam negotij.

Et quid iam cunctabimini? cùm videatis fortunam armis haudquaquam tentari: ſed Diuinam benedictionem exercitui affulgere: quæ, vt Strigonium arx munitiſsima, in noſtrorum venerit poteſtatem, effecit.

Sed tantum abeſt, vt de veſtris deinceps auxilijs ambigamus: vt potius in eam adducamur ſpem, in ijs, quæ in propinqua expectatione ſunt, comitijs, ſocijs Germanis & Vngaris bellica auxilia mittenda: & pro ſalute veſtra: pro commodo Romani Imperij: pro Euangelio CHRISTI: pro pace Chriſtianorum, viriliter decertandum & vincendum, ſitis vnanimiter decreturi.

DIxi cauſas: quæ Inuictiſsimum Romanorum IMPERATOREM: quæ Principes Germaniæ: quæ Italiæ: quæ multos alios, ad ſacrum bellum impulerunt.

Dixi: quæ cauſæ bellicoſos Polonos, ad ſocietatem huius belli, non tám inuitare, quàm iure cogere poſſunt.

Non enim hîc agitur, vt dominia Imperiorum tantum defendantur: ſed vt Nomen CHRISTI

STI

STI: vt Euangelium ſaluificum: vt Chriſtianus populus: vt pax & tranquillitas Europæ cuſtodita, integra, intemerataq́, maneant.

Vos ergò Principes Europæi: quorum corda Sacroſancto Baptiſmate lota, Sancta Euangelij fide imbuta: quibus nomen: quibus Euangelium CHRISTI: quibus pax & libertas Germaniæ cordi, curæ eſt, euigilate: Patriam coniunctis armis, viribus defendere pergite: hoſtem truculentum propulſate: è Romano Imperio eijcite: pellite trans Boryſthenem: fugate trans Boſphorum: & quæ vbiq; cingitur maribus, tenete vt arcem cuſtoditam, veſtram Europam.

Date Poloni operam, ne Tartari Boryſthenem terminum Europæ traijciant. Iuuate Germanos & Italos. Iuuate Vngaros & Tranſyluanos: vt Turcam trans Boſphorum compellant.

Et tunc pax Europæ florebit: Euangelium de IESV CHRISTO inconcuſſum retinebitur: regna metu liberabuntur.

PRiorem orationis meæ partem: in qua plus æquo prolixior mihi fuiſſe, & auditorio ampliſsimo tædium peperiſſe videor, ſum executus. Deinceps de poſteriore propoſiti mei membro: quo celeberrimæ huic Academiæ ſum valedicturus, dicendū fuerat. In hôc membro prolixitatem audi-

verò, ſi me ipſum intueor, qui multa Academiæ debeo, minimè huic negotio conuenire, animaduerto. Malo tamen, ſiquidem peccandum eſt, ne, quas mihi hactenus faciles præbuiſtis, longis ambagibus feſſas hinc dimittam aures, minus delinquere.

Ac proinde IEHOVAE, Patri Domini noſtri IESV CHRISTI, Redemptoris & Saluatoris vniuerſi generis humani, Statori & Defenſori huius Academiæ perpetuo: quod me in hanc Academiam adduxerit: adductum, ſaluum & incolumem præſtiterit: incolumi, diſcendi facultatem conceſſerit: vt licuerit & optimarum artium cum legum doctrina, & Pietatis imbibere ſemina, immenſas ago habeoq; gratias. Huic clementiſsimo DEO, corde ſincero & viribus omnibus me totum dicabo, ſacrificabo.

Poſt DEVM. Glorioſum illis, qui vices DEI in hac Academia peragunt: cuiusmodi ſunt omnium facultatum Profeſſores vigilantiſsimi, Reuerendiſsimi, Conſultiſsimi, Clariſsimi, Sapientiſsimiq;, à me aguntur debitæ gratiæ. His omnibus & ſingulis totum id, quod in ſuppellectile eruditionis habeo, lubens acceptum refero: gratoq; animo profiteor, me multum ipſorum lectionibus & diſquiſitionibus, publicè & priuatim adiutum, animumq́, meum excultum fuiſſe, ſentio. His per-

pctuam

petuam obſeruantiam, beneuolentiam: his omnis generis ſtudia, quæ ex me proficiſci poterunt, largiſſimè defero; ſedulò elaboraturus: vt hanc verborum conteſtationem factis comprobatam, vniuerſi & ſinguli, humanitatisq; officia experiri poſſint omnia.

Denique, vobis Nobiliſsimi, virtute & doctrinâ politiſsimi Iuuenes: qui ſub ijsdem mecum vexillis ſtipendia meruiſtis, & eundem optimarum artium fructum in hac ſtudiorum palæſtra ſenſiſtis: quod me partim in vita communi, partim ex hac cathedra dicentem, æquo animo ſuſtinueritis, perpetuas habeo gratias. Veſtrum nemini non, quicquid vſpiam à me gratum redundare poterit, polliceor; omniaq; beneuolentiæ & humanitatis ſtudia defero & promitto.

Vtq; DEO benefactori æternam pietatem: Profeſſoribus gratitudinem perennem: Itâ Commilitonibus meis ſtudium gratificandi ſempiternum, lubens volensq; ſpondeo: DEVM præpotentem ex intimis cordis mei viſceribus precaturus: vt dulciſsimam ſtudiorum nutriculam, Academiam VVitebergicam: quæ maximam nominis ſui celebritatem, omnium nationum ſermone conſecuta eſt, brachio ſuo, contra hæreſes, contra inuidos & maleuolos fortiter defendat, tegat tueatur-

TREM ſe præſtet Clementiſsimum: Eos vigere faciat: Sapientiâ & Spiritu Suo Sancto gubernet: vt IPSI grata: Academiæ, Sibiq; ſalutaria dicant, faciant, perficiant.

VALE Academia dulciſsima: VALETE Profeſſores Clariſsimi, & Vos Commilitones ſuauiſsimi, VALETE: & Voti huius mei compotes redditi, mihi fauete, mihi benedicite: Ego vobis: Omnibus nobis ALTISSIMVS, in ſempiternas ſeculorum ætates.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D I X I.

Dresdæ, in Officina typographica Hieronymi Schützij, Anno CHRISTI:

M D X C V I.